

risdictionis ecclesiasticæ, nihilominus ad tollendam omnem dubitandi materiam, prædicti Exponentes Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis de absolutio- nis beneficio, & aliis, ut infra, providere de benignitate apostolica dignaremur.

Commissio, de qua in rubrica.

§.3. Nos igitur dictos Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, coram quo lis inter ipsos Exponentes, ut asserunt, & prædictos Capitulum, & Canonicos super præmissis adhuc indecisa pendet, per præsentem committimus, & mandamus, quatenus confito tibi legitime de præmissis, prædictos Exponentes, & eorum quemlibet, si hoc a te humiliter petierint, & parito prius per eos, si quod sit, iudicato, nec non renunciato attentatis coram quibuscumque Judicibus laicis factis, ac imposita dictis Exponentibus, & eorum cuilibet arbitrio tuo poenitentia salutari, a quibusvis censuris, & poenis ecclesiasticis per eos præmissorum occasione quomodolibet incurtis, auctoritate nostra absolvas, & totaliter liberes, distasque poenas illis gratiose remittas, & condones, eosdemque in pristinum, & eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restituas, reponas, & reintegres.

Derogatio contrarium

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, dictæ Ecclesiæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 15. Septem. 1636. An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima quinta Septembris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXII.

Fratres Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum possunt erigere Crucem in publicis Processionibus.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cause hujus Confit.

Cum, sicut dilectus filius modernus Vicarius Generalis Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Italiae Nobis nuper exponi fecit, aliis postquam ipse Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Car-

dinalibus sacris Ritibus prepositis exposisset, prædictos Fratres Discalceatos incedere in Processionibus publicis sub Cruce Fratrum Eremitarum ejusdem S. Augustini, petiissetque Fratribus Discalceatis hujusmodi concedi licentiam erigendi propriam Crucem, & sub ea in Processionibus incedendi; iidem Venerabiles Fratres licentiam prædictam Fratribus Discalceatis hujusmodi sub nostro, & Sedis Apostolicæ beneplacito concesserint, dummodo digniorem locum omnibus aliis regularibus, qui hætenus Crucem erexerunt, concederent, prout in Decreto desuper emanato plenius dicitur contineri: cupiente propterea dictus Vicarius Generalis præmissa omnia pro illorum validitate, & substantia firmioribus Apostolicæ nostræ confirmationis patrocinio communiti.

Confirmatur, prout in cub.

§.1. Nos dictum Vicarium Generalem specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Decretum prædictum, ac omnia, & singula in eo contenta, apostolica auctoritate, tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiciamus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum irritans.

§.2. Decernentes illa, necnon presentes literas, valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, distisque Fratribus Discalceatis hujusmodi in omnibus, & per omnia suffragari debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his, a quocumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrarium

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 1. Octobr. 1636. An. XIV.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 1. Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Regis

DXXIII.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Regis Catholici zelus excitatur, ne permittat, a suis Ministris nonnulla Ecclesiarum bona in Portugallia Regno occupari.

Charissimo in Christo filio nostro Philippo Portugallia, & Algarbiorum Regi Catholico.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Charissime in Christo fili vester salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

Pastoralis officii nostri debitum, & honoris Domus Dei zelus, quo in tuendis, ac sacris rebusque conservandis Ecclesiarum juribus assidue solliciti sumus, non patitur, ut ea conniventibus oculis prætereamus, que in Ecclesiarum ipsarum damnum, præjudiciumque temerariis ausibus committuntur.

Ministri Regis bonis nonnullis Ecclesiis privare tentant.

§.1. Cum itaque, sicut non sine gravi animi nostri molestia accepimus, nonnulli majestatis tuæ in Portugallia Regno Ministris indebito legis laicalis aliis per fel. rec. Gregorium Papam Nonum Prædecessorem nostrum abrogatæ prætextu, conati sint, & conentur, Ecclesias, seu Cappellas, ac perpetua Beneficia Ecclesiastica, & alia loca pia suis bonis, etiam ab antiquissimo tempore possessis, & acquisitis etiam ex legatis, seu dispositionibus piorum, Christianissimum pro suarum animarum refrigerio factis, & relictis privare, & spoliare, indeque oriri possit nedum injusta privatio, & spoliatio in eorundem Ecclesiarum, & Beneficiorum detrimentum, ac revocatio legatorum, fundationumque piarum, & subtractio suffragiorum animabus fundatorum perpetuo assignatorum, sed etiam extinctio titularum Ecclesiarum, & Beneficiorum hujusmodi, etiam contra modernam, & antiquam Regni Portugallia observantiam; & licet annis præteritis eadem præsentio fuerit suscitata; tua tamen, ac Regum Portugallia majorum tuorum pietate hætenus semper sopita fuerit in favorem Ecclesiarum, Beneficiorum, & locorum piorum hujusmodi.

Pontifex R. p. horatur, ne hujusmodi attentata permittat.

§.2. Nos certe quamquam egregius, & a majoribus tuis acceptus majestatis tuæ religionis zelus Nobis abunde polliceantur, se circa præmissa eas rationes initurum, quibus Ecclesiarum, Beneficiorum Ecclesiasticorum, locorumque piorum indemnitati, & animarum Christianissimum refrigerio opportunis rationibus consulatur; ob curam tamen universalis Ecclesiæ humilitati nostræ divinitus commissam, Pontificæque nostræ in majestatem tuam charitatis viscera facere non possumus, quin eam paterne in Domino hortemur, ut avitæ virtutis emulatur, Ecclesias, Beneficia, & loca pia hujusmodi suis immunitatibus, bonisque, ac juribus pacifice frui, & gaudere faciat; nec illa per ministros Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

prædictos desuper molestari, seu ullo modo inquietari permittat, Nobis ipsi persuadentes eandem illam gloriam, quæ pietatis in Deum, & propensæ in res sacras voluntatis, aliisque laudabilibus meritis majestas tua hucusque adeptæ est, ad ampliorum parandam tibi stimulos addituram; alia enim adiacere consuevit Dominus Regnum suum primo quaerentibus. Nobis profecto, quicquid ad Ecclesiarum, Beneficiorum, ac piorum locorum favorem in præmissis gesseris, & juseris, tam gratum erit, quam quæ gratissima accidere possunt, & hac super re cum majestate tua susus discret Nunciis noster Episcopus Senogallien. Dum vero apostolicam benedictionem tibi iterum impertimur, susus ad Deum precibus enixe postulamus, ut celestium gratiarum dona tibi jugiter impertiantur.

Dat. die 18. Octobr. 1636. An. XIV.

Datum in Arce Gandulphi Albanen. Diocesis sub Annulo Piscatoris, die decima octava Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXIV.

Oppidum Mercatelli Urbanae Episcopatus, Lamolæ autem Oppidum Ecclesiæ Sancti Angeli quoad jurisdictionem ecclesiasticam addicuntur.

Ex Regest. in Secret. Breve.

Ereclum ab ipso hoc Pontifice Urbanae Episcopatus vide in præcedenti anno Numer. DL. fol. 49.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Cum nuper Nos ad omnipotentis Dei laudem, & cultus divini augmentum Ecclesiam Cathedralis Urbanae nuncupatam ex Ecclesia Sancti Christophori Abbatia nuncupatæ Castri Durantis, & Ecclesiam Cathedralis Sancti Angeli nuncupatam ex Ecclesia Archipresbyteratus nuncupatæ Oppidi Sancti Angeli in Vado in Provincia Massæ Trabariae Provinciae Urbanatensis erexerimus, & pro Diocesi Episcopatus Urbanae districtum ecclesiasticum dictæ Abbatia nunc suppressæ Sancti Christophori assignaverimus, excepto territorio, seu districtu Sancti Angeli, quod pro Diocesi ejusdem Episcopatus Sancti Angeli assignavimus, easdemque Ecclesias Cathedralis Urbanae, & Sancti Angeli ad invicem æque principaliter ereclitas univimus pro uno Episcopo, qui verbo, & exemplo, disciplinaque ecclesiastica populos prædictarum Civitatum invicem unitarum pasceret, & instrueret, prout in Literis Apostolicis desuper expeditis latius continetur.

Ereclio a se nuper Urbanae, & S. Angeli Episcopatus relict.

§.2. Verum, quia, ut accepimus, prædictæ Dioceses non multum amplæ sunt, & prope illas extant Terræ, seu Oppida Mercatelli, & Lamolæ, quæ cum sint, ut prætenditur, nullius Diocesis, melius in

Nunc Oppidum Mercatelli Urbanae.

in spiritualibus ab Episcopo, quam ab alio inferiori poterunt gubernari; Ideo Nos volentes Diceceses predictas ampliare, & subditis prefatarum Terrarum, seu Oppidorum Mercatelli, & Lamolæ, eorumque gubernio, & regimini quoad spiritualia consulere, tenoresque, & compendia indultorum, & privilegiorum etiam apostolicorum eisdem Terris, seu Oppidis tam per Romanos Pontifices Predecessores nostros, quam per quoscumque alios cuiuscumque dignitatis, etiam ecclesiasticæ, status, gradus, conditionis, & qualitatis etiam speciali nota dignos quomodolibet, & quodcumque, causa quantumlibet rationabili, favorabili, publica, & pia, etiam in corpore juris clausa, etiam hic specialiter exprimenda, & inferenda concessorum, & emanatorum, ac etiam pluries approbatorum, & confirmatorum, ac usu etiam antiquissimo receptorum pro plene expressis, & insertis habentes, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, eandem Terram, seu Oppidum Mercatelli, eisdemque districtum, quoad jurisdictionem ecclesiasticam per Archiepiscopatum Ecclesiæ Collegiatae dictæ Terræ hæcenus exerceri solitam, eidem Dicecesi Ecclesiæ Urbaniæ perpetuo sine alicujus præjudicio annectimus, & incorporamus, eandem jurisdictionem ecclesiasticam super Ecclesiis, & personis quibuscumque ejusdem Terræ, seu Oppidi Mercatelli, ejusque districtus exerceri solitam, & alias quomodolibet prædicto Archiepiscopato competentes, eidem Episcopatu Ecclesiæ Urbaniæ, & Episcopo prefatæ Ecclesiæ nunc, & pro tempore existenti etiam perpetuo damus, & concedimus, statumque, & essentiam nullius Dicecesis etiam perpetuo tollimus, extinguimus, & abrogamus, eandemque Terram, seu Oppidum Mercatelli, quoad spiritualia, & alia ad forum ecclesiasticum spectantia eidem Episcopatu Urbaniæ pro sua Dicecesis ampliacione subijcimus, exceptis tamen illis sex Ecclesiis Parochialibus, quæ sita sunt in temporali Territorio olim Terræ, seu Oppidi, nunc autem prefatæ Civitatis Sancti Angeli, quas Ecclesias, earumque Parochias, & Parochianos, necnon prædictam Terram, seu Oppidum Lamolæ, ejusdem districtum ecclesiasticum, ac jurisdictionem ecclesiasticam in illius, & illarum Ecclesias, & personas per Abbatem, seu Commendatarium exerceri solitum, eidemque Dicecesi Ecclesiæ Cathedralis Sancti Angeli, quoad spiritualia pro ipsius Dicecesis ampliacione, etiam perpetuo sine alicujus præjudicio annectimus, & incorporamus, statumque, & essentiam nullius Dicecesis, etiam perpetuo tollimus, & extinguimus, & abrogamus, eamque Terram, seu Oppidum Lamolæ quoad spiritualia, & alia ad forum ecclesiasticum spectantia, eidem Episcopatu Sancti Angeli subijcimus, & supponimus.

§.3. Decernentes præsentem Literas,

Et Terram Lamolæ Episcopatu S. Angeli quoad jurisdictionem ecclesiasticam addicit.

omniaque, & singula in eis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes ad ea minime vocati, & auditi, minusque causa, propter quas eadem præsentem emanaverint adductæ, verificatæ, seu justificatæ fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, & nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, apertionis oris, reductionis ad viam, & terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concedi, & aut impetrato, vel concessio quempiam uti, seu se juvare in iudicio, vel extra, sed illas semper validas, firmas, & efficaces extare, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, & alios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuiuslibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super &c. attentari. Non obstantibus præmissis, ac nostræ de non tollendo jure quæsito, et quibusvis aliis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque &c., & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque &c. derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dicecesis sub Annulo Piscatoris die vigesima Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

Dat. die 20. Octobr. 1636. An. XIV.

D X X V.

Quod de cætero nullus Fratrum de Observantia in Guardianum, aut Magistrum Novitiorum in Conventibus Recollectorum Provincia Granatensis deputari possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit.

Ne jam indicata otiose repetam fas sit recensere Clement. VII. Const. XLIII. In summa, Tom. IV. Par. I. fol. 100.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, dilecti filii Fratres Ordinis Minorum S. Francisci de Observant. Recollectorum nuncupatorum Provincia Granatensis in Regno Hispaniarum, dum a Provincialibus non recollectis,

Motiva hujus Const.

Clausulas apponit.

tis, sed de Observantia dumtaxat gubernantur, diversa inconvenientia, sive incommoda experti sint, quoniam Provinciales prædicti Conventibus Recollectorum Guardianos præficiunt similiter de Observantia, qui rigorosa, exactaque regularis disciplina observantia, sub cuius regulis ipsi Recollecti vivunt, minus assueti, modorumque, & cœremoniæ eorumdem Recollectorum nescii, multis relaxationibus, abusibusque ansam præbent, non sine regulæ, & normæ vivendi arctioris eorumdem Recollectorum præjudicio: præterea iidem Fratres de Observantia Ordinis sui professores ad eosdem Fratres Recollectos facile mittere consueverint, qui, quidem Fratres de Observantia ad eosdem Recollectos, ut præfertur, missi, ad pristinum eorum vitæ institutum sæpe sapienter redire volunt, non sine scandalo, & eorumdem Recollectorum perturbatione:

§.1. Nos felici eorumdem Recollectorum regimini, & gubernio, eorumque quieti, quantum cum Domino possumus, consulere, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium statuimus, & ordinamus; Quod de cætero nullus in Guardianum, Definitorem, nec Magistrum Novitiorum in Conventibus eorumdem Fratrum Recollectorum deputari, eligi, seu alias assumi, aut constitui possit, quin prius habitum per eosdem Recollectos gestari solitum susceperit, & inter eosdem Recollectos per sexennium ad minus vixerit, juxta eorumdem Recollectorum constitutiones, quas in hac parte ex certa scientia nostra, quo autem ad reliqua illarum capitula, dummodo sint in usu, & non sint revocata, neque sub aliquibus revocationibus comprehensa, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini Decretis, ac Constitutionibus Apostolicis, regularibusque eorumdem Recollectorum institutis non adferentur, approbamus, & confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, & singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Decretum de quo in Rubrica.

Confirmatio Statutorum Fr. Recollectorum.

Transfere ad Recollectos.

§.2. Insuper, quod etiam de cætero Fratres de Observantia prædicti ad Recollectos hujusmodi transfere non possint absque eorumdem Recollectorum consensu, seu majoris partis ejus Conventus, ad quem transfere quilibet voluerit; quodque si ex Observantibus prædictis, qui ultra tres veces transfere hujusmodi fecerint, inter eosdem Recollectos amplius admitti

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

nullo modo valeant, apostolica auctoritate, earundem tenore præsentium pariter statuimus, & ordinamus.

§.3. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ omnibus, & singulis dicti Ordinis Superioribus quocumque nomine nuncupatis, sub privationis officiorum, ac excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis ipso facto incurrendis, ne constitutiones, ordinationes, & statuta eorumdem Fratrum Recollectorum quovis prætextu alterare, mutare, seu abrogare audeant, vel præsumant, ac decernentes, præsentem Literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Pœna contra inobedientes.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinibus, & Provinciæ hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrarium.

§.5. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constituta munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Transumptorum fides.

Datum in Arce Gandulphi Albanensis Dicecesis, sub Annulo Piscatoris die vigesima quinta Octobris 1636. Pontificatus nostri Anno XIV.

Dat. die 25. Octobr. 1636. An. XIV.

D X X V I.

Declarat Ministrum Generalem Fratrum Reformatorem Discalceatorum Congregacionis Hispaniarum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum post sui electionem nulla indigere confirmatione.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Jo: de Annunciatione Fratrum Ordinis Sanctissime Trinitatis Redemptionis Captivorum, Discalceatorum

Causæ sciencie de declaratione.

nuncupatorum, Congregationis Hispaniarum Procurator Generalis, quod alias postquam Nos per Nostras sub plumbo de anno 1631. expeditas literas, incipientes Salutaribus Apostoli monitis, Fratribus Discalceatishujusmodi facultatem eligendi ex ipsis Fratribus Discalceatis in suo Generali Capitulo unum Ministrum Generalem, juxta formam in dictis literis prescriptam, a Superioritate Ministri Generalis Fratrum ejusdem Ordinis Calceatorum, penitus, & omnino exemptum concessimus, ipse Minister Generalis Congregationis hujusmodi in dicto Capitulo noviter electus confirmationem suae canonicae electionis a Nobis, tanquam Praelati a Summo Pontifice immediate dependentis obtinuit. Sed ne imposterum dicta Congregatio in illius regimine interim, dum litera confirmationis sui Ministri Generalis a Sede Apostolica impetrantur, detrimentum aliquod patiat, Nobis propterea dictus Joannes Procurator Generalis hujusmodi humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratio de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur prospere, felicique dictae Congregationis regimini, & gubernio, quantum cum Domino possumus, consulere, dictumque Joannem Procuratorem hujusmodi specialibus favoribus, & gratius proficere volentes, & a quibusvis excommunicationis, suspensionis, interdicti, aliiusque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiorum Regularium praepositorum Consilio, quod de caetero perpetuis futuris temporibus Capitulum Generale Fratrum Discalceatorum Ordinis, & Congregationis hujusmodi pro illius Ministri Generalis electione facienda legitime congregatum, electionem Ministri Generalis hujusmodi in dicto Capitulo generali factam, juxta formam in dictis literis praescriptam confirmare libere, & licite possit, & valeat, itaque quod Minister Generalis hujusmodi noviter electus, & a Capitulo generali confirmatus, nulla alia confirmatione unquam indigeat, sed statim possit exercere officium Ministri Generalis totius Congregationis Fratrum Discalceatorum hujusmodi, cum ipsismet auctoritate, facultatibus, & praeminentiis aliis Superioribus Generalibus aliorum Ordinum ex privilegio Apostolico, vel aliis quomodolibet competentibus, & concessis, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, & indulgemus.

Clausula.

§.3. Decernentes praesentes literas validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis,

ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari debere, ac irritum, & inane, si quid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§.4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Ordinis, & Congregationis hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores praesentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 3. Decembris 1636. Pont. Nostri Anno XIV.

Dat. die 3. Decem. 1636. An. XIV.

D X X V I I .

Licentia erigendi Romae Ecclesiam, Hospitium, & Collegium pro Nationibus Provinciae Marchiae.

Ex Reg. in Secret. Brev.

Dilecto filio nostro in Alma Urbe Vicario in Spiritualibus Generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Exposuit Nobis nuper dilectus filius noster Joannes Baptista tituli Sancti Silvestri Presbyter Cardinalis Pallottus nuncupatus tam suo proprio, quam nomine caeterorum Nationalium Provinciae Picenae in Alma Urbe nostra commorantium, quod ipse Cardinalis, caeterique Nationales pro eximio, atque singulari, quem erga Beatissimam Virginem Mariam Lauretanam gerunt devotionis affectum, & ad promovendum per amplius ejusdem Beatissimae Virginis Mariae cultum, spiritualique eorumdem Nationalium, & aliorum Christianissimorum aedificationem consulendum, unam in Alma Urbe nostra Ecclesiam, Oratorium, Hospitale, necnon Collegium Alumnorum pro Nationibus Provinciae Marchiae sub denominatione Almae Domus Beatissimae Virginis de Laureto Nationis Picenae construere, & aedificare posse summopere desiderant, si nostra ad id eis licentia suffragetur, & facultas;

Piceni Romae Collegium & Ecclesiam & erigendi potent facultatem.

§.2. Nos, qui negocium hujusmodi per te, & Congregationem Visitationis Apostolicae mature examinan. considerandumque commisimus, habita de eo opportuna, & sufficienti relatione, piis doctorum Joannis Baptistae Cardinalis, caeterorumque

Urbanus assentit.

rumque Nationalium votis, quantum cum Domino possumus, annuere, illosque specialibus favoribus, & gratius proficere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliiusque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinatis, tibi per praesentes injungimus, ut Joanni Baptista Cardinali, caeterisque Nationalibus praedictis, in Alma Urbe nostra, & loco ad id decenti, ac congruo, unam Ecclesiam, Oratorium, Hospitale, necnon Collegium Alumnorum pro Nationibus ejusdem Provinciae Marchiae sub denominatione Almae Domus Beatissimae Virginis de Laureto Nationis Picenae, sine tamen alicujus praedictis, ac servatis alias servandis, construendi, & aedificandi, seu construendi, & aedificandi faciendi, ita tamen, ut donationes, & legata nunc, & pro tempore facta, & facienda Ecclesiae Beatissimae Mariae Lauretan. Urbis, spectare debeant ad Ecclesiam Beatissimae Mariae Lauretanae Pistorum, nisi constet de voluntate donantium, vel legantium in favorem Ecclesiae Nationis Picenae, licentiam, & facultatem, auctoritate nostra concedas.

Obstantibus derogat.

Dat. die 3. Decem. 1636. An. XIV.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die ultima Decembris 1636. Pontificatus nostri Anno Decimo quarto.

D X X V I I I .

Confirmatio decreti, videlicet, Praecedentiam in Processionibus in Civitate Oriolensi competere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

EX incumbenti Nobis apostolici muneris debito ad ea mentis nostrae aciem assidue intendimus, per quae Christianissimos sub suavi religionis jugo Altissimo famulantes, sublati obstaculis, in quietis, & pacis amoenitate vota sua Domino reddant, ac felicioribus in via mandatorum ejus proficiant incrementis.

Decr. S. Congreg. Rituum.

§.1. Nuper siquidem a Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris Ritibus Praepositis emanavit Decretum tenoris subsequentiis, videlicet: Orta controversia circa praecedentiam in processibus inter Regulares Recollectos

Conventus Sanctae Annae, & Discalceatos S. Gregorii Ordinis S. Francisci de Observantia Civitatis Oriolensis ex una, & Regulares Conventus S. Augustini Ordinis Eremitarum S. Augustini ejusdem Civitatis, partibus ex altera: Sacra Rituum Congregatio, citatis saepius, & auditis utriusque partis Procuratoribus, & utraque parte informante, censuit ad relationem Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinalis Verospii, Praecedentiam, & digniorem locum in processibus, tam publicis, quam privatis competere, & debere Augustinianis supra Franciscanos Recollectos, & Discalceatos, juxta dispositionem Bullae Gregorii XIII., quae incipit: *Exposcit*, sub die 15. Julii 1583. editam: Et hoc sine dicti Recollecti, & Discalceati in praedictis processibus incedant conjunctim, sive divisim: Et ita imposterum inter dictas partes in Civitate Oriolensi servari mandavit: Quibus propterea in praemissis perpetuum silentium imposuit. Die 20. Decembris 1636.

Confirmatur ab Urbano.

§.2. Nos, quo decretum hujusmodi firmius subsistat, exactiusque ab omnibus observetur, illud cum omnibus, & singulis in eo contentis, & expressis, apostolica auctoritate, tenore praesentium perpetuo approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adicimus, ac omnes, & singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Decernentes illud, necnon praesentes Literas semper, & perpetuo valida, firma, & efficacia existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac Fratribus Augustinianis praedictis in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, necnon ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, firmiter, & inviolabiliter observari perpetuo; Sicque ab omnibus censeri, & ita per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de late-re Legatos, & Sedis Apostolicae Nuncios ubique, & in quavis instantia judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, auctoritate, & tenore praedictis decernimus, & declaramus.

Executores deputatio.

§.3. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Oriolensi, seu dilecto filio Officiali Oriolensi per praesentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes Literas, & in eis contenta quaecumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte Fratrum Augustinianorum hujusmodi fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisdemque Fratribus Augustinianis in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostra, praemissa omnia, & singula ab iis, ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, in futurum inviolabiliter

1637.

liter observari, eisdemque Fratres Augustinianos præmissorum commodo, & effectu quiete, & pacifice frui, & gaudere, non permittentes illos per aliorum quorumvis Ordinum, & Institutum regulares, in præmissis quovis prætextu, causa, vel occasione, aut aliis quomodolibet indebite molestari, perturbari, inquietari, vel impediri.

Contraveni-
tium poena.

§.4. Contradictores quoslibet, & rebelles, aut aliis in præmissis non parentes, seu sese quomodolibet opposentes, eisque auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte, directe, vel indirecte quomodolibet præstantes, per sententias, censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, & poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogat. con-
tra.

§.5. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, illorumque Domorum, & Locorum regularium, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis illis, eorumque superioribus, & personis, ac quibusvis aliis sub quibuscumque derogationum derogatoriis, aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis eorum tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 14.
Jan. 1637.
An. XIV.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die decimasecunda Januarii 1637. Pontificatus nostri Anno Decimoquarto.

DXXIX.

Quod in Provinciis Sancti Bernardini, & Sanctæ Mariæ Magdalene in Gallia Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum, seu Recollectorum nullus omnino gaudeat privilegiis Patrum Provinciae.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procedimus.

Inter gravissimas, multiplicisque apostolicæ servitutis curas, in eam peculiari sollicitudine incumbimus, ut Religiosi viri, qui obliiti populum suum, & domum patris sui, divini numinis obsequiis se manciparunt, vota sua reddant Domino abundanter in spiritu humilitatis, & sanctitate, & iustitia coram ipso.

§.1. Hinc est, quod Nos felici dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia Reformatorum, & Recollectorum nuncupatorum Provinciarum Sancti Bernardini, & Sanctæ Mariæ Magdalene in Gallia, statui, quantum cum Domino possumus, consulere volentes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra harum serie, sub excommunicationis, ac privationis omnium, actuum legitimorum poenis, prohibemus, ne ullus omnino in præfatis Provinciis gaudeat privilegiis Patrum Provinciae: Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ut absolute tales Patres Provinciae sublati sint, non obstante quacumque constitutione, vel concessione Provinciali, aut alia quavis: exceptis tamen his, qui fuerunt, aut erunt in posterum Patres Ordinis, vel Definitorum Generales.

AN. CH.

1637.

Mandat prout
in Rubrica.

§.2. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Albiensi per presentes committimus, & mandamus, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios presentes Literas, & in eis contenta quæcumque, ubi, & quando opus fuerit, & quoties pro parte dictorum Fratrum fuerit requisitus, solemniter publicans, & eis em in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens, faciat auctoritate nostra eisdem Fratres presentium, Literarum commodo, & effectu pacifice frui, & gaudere: Non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate fungente quomodolibet indebite molestari. Contradictores quoslibet, ac præmissis non parentes per censuras, & poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Decernentes presentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, irritumque, & inane, quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Executores
deputat, &
transgressores
puniri man-
dat.Contrariis
derogat.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogationum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, & aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia ex-
qui-

AN. CH.

1637.

quisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis
credi jubet.

§.2. Volumus autem, quod presentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quæ adhiberetur presentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Dat. die 18.
Februarii 1637
An. XIV.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 18. Februarii 1637. Pontificatus nostri Anno XIV.

DXXX.

Ex Reg. in
Secret. Brev.

Confirmantur Constit. Collegii Naubertini Carmelitarum Parisiensium antiquæ Observantiæ.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Procedimus.

In supremo apostolatus folio meritis licet imparibus immensa Redemptoris nostri benignitate constituti, inter ceteras apostolicæ servitutis curas illa Nos jugiter sollicitos habet, ut Religiosi viri sub Strictioris Observantiæ regulis altissimo famulantes felicioribus in dies viis Domini proficiant incrementis. Quamobrem si quæ propterea facta fuisse comperimus, illa, quo firmius subsistant, exactiusque observentur, apostolicæ nostræ confirmationis munimine roboramus, prout ad Dei gloriam, felicemque ipsorum Religiosorum statum, & directionem conspicimus in Domino salubriter expedire.

Prior Gene-
ralis Collegii
Naubertini
nonnullas edit
Constit. pro
eiusdem Col-
legii regimine
Sequuntur
Constit.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Theodorus Stratus Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo antiquæ observantiæ regularis Prior Generalis, quod pro felici, prosperoque Domus Regularis Parisien. & Collegii Naubertini dicti Ordinis regimine, & gubernio nonnullas Constitutiones editæ fuerunt tenoris subsequenti, videlicet:

Fr. Theodorus Stratus Magister, & humilis Prior Generalis Ordinis Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo antiquæ observantiæ regularis.

Ea est humanarum rerum natura, & conditio, ut quæ aliquando justis suadentibus causis tanquam bono publico conducant fuerint approbata, postea expediens sit aliis non minus justis causis rerum, temporumque qualitatibus pensatis, illa alterare, & interdum etiam penitus immutare, & revocare. Hinc licet alias fel. rec. Leo X., & Hadrianus VI. Congregationem quamdam Albiensem nostri Ordinis in Regno Galliarum Domos Albien., Melodunen., Parisien., Tolosan., & Rothomagen. amplectentem confirmaverint,

multisque privilegiis locupletaverint, nihilominus postea Gregorius XIII. pariter fecerit certior factus, quod Fratres privilegiis dictæ Congregationis abutentes à pristinis institutis valde defecerant, & in preceptis corruerant, ad instantiam Henrici Tertii Francorum Regis Christianissimi per Constitutionem editam anno 1582. Kalen. Maii dictam Congregationem extinxit, ejusque Domos, & Oratoria suis Provinciis, seu propinquioribus Ordinis retribuit; Domum autem, & Collegium Parisien. sub auctoritate Prioris Generalis reposuit, statuitque, ut in eo Collegio Classës Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, Philosophiæ, & Theologiæ numquam desissent ibiq; regularis disciplina summe observaretur, & omnes studentes ibi professi, aut professuri modo in eo residerent, locum, & vocem activam, & passivam haberent, una cum Magistris, Graduatibus saltem Baccalaureatus formati, Regentibus, & aliis ejusdem Domus Officialibus, & Provinciarum Galliarum in eo manentibus, quadriennio tamen professis, & in ordinibus sacris constitutis; Prior autem ipsius Domus juxta formam a Conc. Tridentino præscriptam ab habentibus auctoritatem, eligeretur, & a Patre Generali ad instar Provincialium ad triennium confirmaretur; nec hujusmodi electio fieret nisi præsidente ibi Vicario, aut Commissario a Priore Generali deputato; Item quod Officiales dicti Collegii ex aptioribus, qui in quibusvis Domibus, & locis cujuscumque Provinciae Galliarum nostri Ordinis reperirentur, licet electionis tempore in ipsis Domino, & Collegio non residerent, eligerentur, qui sic electi hujusmodi officia in virtute sanctæ obedientiæ susciperent, & si reluctassent, poenam privationis, & inhabilitatis ad quacumque alia officia, & gradus Ordinis concurrerent. Ceterum decursu temporis Fratres quoque in dicta Domo, & Collegio degentes privilegio immediatæ subjectionis Generali, & aliis similiter male utentes, ad vitam laxiorem se converterunt, & tanquam suæ propriæ professionis obliiti, tam licentiosam vitam agere ceperunt, ut disciplinam regularem contemnere viderentur, essentque secularibus ipsis in scandalum. Et licet Nos ad eos reformandos non semel viros graves, & prudentes Commissarios alias destinaverimus, ab eis tamen ob distorum Fratrum penitentiam, & contradictionem, nihil ad votum fieri potuit: & tandem adeo crevit illorum vivendi libertas, ut ea offensus piissimus, & Christianissimus Ludovicus Rex, qui modo feliciter regnat, præcipuo zelo restaurandæ observantiæ in præfata Domo, & Collegio acceptus, Superioribus Religionis significaverit, sibi pergratum fore, si illius reformatio ab eis efficaciter procuraretur. Cui tam pio voto Nos cupientes, ut ex debito officii nostri tenemur, satisfacere, instituumus Commissarium nostrum cum auctoritate reformandi